

TACITE *Annales*, Livre XIV § 8

« La mort d'Agrippine »

Interim, vulgato Agrippinae periculo, quasi casu evenisset, ut quisque acceperat, decurrere ad litus. Hi molium objectus, hi proximas scaphas scandere ; alii, quantum corpus sinebat, vadere in mare ; quidam manus protendere ; questibus, votis, clamore diversa rogitantium aut incerta respondentium omnis ora compleri ; adfluere ingens multitudo cum luminibus, atque, ubi incolumem esse pernotuit, ut ad gratandum sese expedire, donec aspectu armati et minitantis agminis dejecti sunt. Anicetus villam statione circumdat, refractaque janua, obvios servorum abripit, donec ad fores cubiculi veniret ; cui pauci adstabant, ceteris terrore irrumpentium exterritis. Cubiculo modicum lumen inerat et ancillarum una, magis ac magis anxia Agrippina, quod nemo a filio ac ne Agermus quidem : aliam fore laetae rei faciem ; nunc solitudinem ac repentinos strepitus et extremi mali indicia. Abeunte dehinc ancilla, « Tu quoque me deseris » prolocuta, respicit Anicetum, trierarcho Herculeio et Obarito, centurione classiario, comitatum ; ac, si ad visendum venisset, refotam nuntiaret, sin facinus patraturus, nihil se de filio credere : non imperatum parricidium. Circumsistunt lectum percussores, et prior trierarchus fusti caput ejus adflixit ; jam in mortem centurioni ferrum destringenti protendens uterum, « Ventrem feri » exclamavit, multisque vulneribus confecta est.